



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XXIII. De AEdificatione Castri Partegal & propugnaculi Strandonis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Hermannus de Saltza IV. Magister Ordinis Teut. Gen.

Hermannus de Balke I. Mag. Ord. Teut. Provincialis.

(1. Reg. 18. 28.) Sacerdotum Cybeles, aliorumque. Apud Lacedæmonios Festus erat dies cui nomen δεμοσιων, de quo Plutarch. lib. de Antig. Lacedem. inst. p. 239. Pausanias in Laconicis. Tertullianus in lib. ad Martyres, & in Apologetico cap. 46. Ab his mos semetipsum flagellandi fluxit, qui tamen in Ecclesia primorū temporum sanctis erat incognitus. Etenim Jac. Gretserus exemplis sanctorum hunc morem comprobatur, non nisi S. Dominicum (qui Circa An. 1210. vixit) ex antiquitate, producit lib. 1. de Disciplina Cap. 8. Allegat etiam Testimonium Petri Domiani (qui circa annum 1080. floruit) lib. 2. de Discipl. cap. 7. Concedit etiam Gretserus lib. 1. cap. 10. in Græca Ecclesia flagellationum ejusmodi ferè nulla reperiri apud antiquos scriptores vestigia. Quidam putant primos hujus moris auctores fuisse hereticos, flagellantes dictos, quos exortos esse dicunt An. 1260. ut habet Siffridus Presbyter lib. 2. Epit. Monachus Paduanus ad an. 1260. Prateolus hoc ibidem refert ad Gregorii X. Papæ & Rudolphi Cæsaris tempora; Sed ex Dusburgio nostro supra audivimus, tempore Innocentii III. jam Flagellantes esse exortos (circa annum 1210.)

(b) Engelsburg castrum fuit in Culmensi Provincia jam prorsus destratum.

CAP. XXIII.

De

Ædificatione Castrī Partegal & pro-pugnaculi Strandonis.

IN terra Warmensi fuerunt quidam Viri præpotentes dicti (a) Gobatini valde infesti fratribus, qui congregata multitudine, pugnatorum unum Castrum dictum Partegal, in campo sic nominato, & aliud propugnaculum in monte Strandonis ædificaverunt, munientes ea diversis armigeris. Hi quotidiè fratres de Balga impugnaverunt, sic quod extra Castrum non audebat aliquis de cætero comparere.

O 2

AN-

*Hermannus de Saltza IV. Magister Gen. Ordinis Teut.
Hermannus de Balke I. Magister in Pruss. Provincialis.*

ANIMADVERSIO.

- (a) Elbingense Exemplar habet Gobotini. Glottinas ali nominant,
Vid. Weisiel. in Chron. fol. 51. b.

CAP. XXIV.

*De**Ædificatione Castris Schinkenberg.*

Campum illum in quo Castrum de Belga situm est ambiunt paludes, sic quod tempore aestivali nullus potest transire, nisi per pontem, ante quem Pontem in quodam tumulo ædificaverunt fratres castrum dictum (a) Schinkenberg, locantes in eo plures fratres & quendam Virum Nobilem Hertwigum patrem (b) Hertwigi de Pokarwisi & multos alios viros bellicosos qui ingressum infidelibus prohibebant.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Hennebergerus in Commentario ad Tab. Geogr. Pruss. legit Schneckenberg dicitque montem illum etiamnum appellari eodem nomine.
(b) Hartmann von Pokarwisi habet Herneberg. *loc. cit.*

CAPUT XXV.

*De**Adventu Ducis Brunswich.*

Hoc tempore sicut aqua frigida sitiensi & bonis nuncius de terra longinqua: Ita nobis ille DEO devotus illustris (a) Princeps & Dux de Brunswig, qui etiam de Luneburg dicitur, venit cum multitudine copiosa peregrinorum, ad terram